



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae
a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

Romae, 1658

Aegidius Columna Archiepiscopus Amasiensis Assistens.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9857

etiam induci in montem sanctificationis, quem bene super egenos intelligens acquisiuit sibi dextera eius.

Successiuè omnes Prælati simul assurrexerunt, & stantes, singuli his verbis sua suffragia tulerunt.

Volumius Bandinellus Patriarcha Constantopolitanus Assistens.

Beatus Thomas de Villanova, quem Pontifex sempiternus cumulata virtutum omnium iustitia, & miraculorum ostentis largè ditauit, & mox Ciuem Sanctorum, & cœlestis Aulæ domesticum, syderum suffragijs asseruit; auspicijs tuis, Beatisime Pater, iure datur in exemplum sacris Ecclesiæ Præsulibus, ut frigescenti Charitati, ac Pietati propèmodum collabenti opportunè succurrat. Cum Templum Lateranense fatisceret, Sanctorum illud supposita ceruix, humerique fulserunt. Ruentem Ecclesiæ disciplinam instaurant exempla Sanctorum. Nihil enim ad sanctitatem magis inflamat, quam illustre sanctitatis exemplum. Meritò nunc ille, qui per ardua quæquè, Sanctorum imitatus est normam, nobis proponitur imitandus. Quapropter nèdum censeo Beato Præsuli venerationem, cultumque deberi fidelium; sed glorior in Domino, quod mihi feliciter contigerit in hoc sacro sancto confessu, velut æternis Ecclesiæ tabellis, humile suffragium apponere.

Aegidius Columna Archiepiscopus Amiensis Assistens.

Si quis miseretur pauperis, beatus erit, ut Diuina canunt oracula. Beatus Thomas à Villanova, qui omnem suam substantiam dispergens dedit pauperibus, meritò à S.V. inter Beatos Coelites referri debet, ut iustitia eius maneat in sæculum sæculi.